

Deus iudicium autem deos diducat: deos appellans, qui habent iudicandi de hominibus potestatem; qui in quo iudicio iudicaverint iudicabitur de eis. » Ita S. Iheronymus ostendit Dei iudicium rectum et sine acceptione personarum; quale præcipit fieri a iudicibus, qui eundem imitari tenentur.

Prosequitur hoc argumentum Salvanus lib. 1 De Provid. ad finem in supplicio a Deo illato Aaroni et Mariæ: « Mariæ, inquit, contra Moysen loquitur, nec punitur tantum, sed more iudicii punitur. Primum ad iudicium vocatur, deinde arguitur, tertio verberatur. In lepra autem patitur piaculum criminis; quamvis coercitio istiusmodi non Mariam tantum, sed Aaronem humiliavit, quia etsi deformari lepra summum anisimem non oportuit, et ipsam tamen Domini castigatio flagellavit. Nec solum hæc in pena, quam Maria patitur, Aaron etiam quasi culpæ participes coercetur. Mariæ enim supplicio afflicta, ut Aaron confusione mutetur. Porro autem ut inexorabilem in quibusdam agnosceremus formam divini esse iudicii, ne illius quidem intercessu, qui læsus fuerat, indulset, » etc. Ubi ostendit Deum inflexibilem adeo, ut nec etiam intercedente Moysæ, qui injuriam passus fuerat, voluerit Deus placari. Ubi jam vides non solum non accipere personas hominum, sed nec etiam prece aliquando flecti, sicut nec miseria pauperateque; unde et ita exerceri iudicium mandavit Eccl. xxv, 3: « Pauperis inquit, non misereberis in iudicio, » etc., ubi Proprius ait: « Opus est sapientia ad discernendum justum, nec temere et importune decurrendum ad misericordiam; » et S. Augustinus ad eundem locum: « Nisi addidisset, inquit, in iudicio magna esset quaestio, sed intelligendum esset, etiamsi scriptum non esset; sed cum additum est, nulla quaestio est, hoc esse præceptum: ne forte cum iudicamus, videamus iniustitiam esse prodivie contra pauperem; et nobis recte facere videamur, si contra iustitiam pauperi favemus causa misericordiae. Bona est ergo misericordia, sed non debet esse contra iudicium. Iudicium sane illud appellat Scriptura, quod iustum est. »

Et S. Isidorus Pelusiota lib. II, Epist. 230 expendens dicta verba Exodi ait: « Propterea his verbis usus est in iudicio: Non misereberis pauperis: etenim ipsius quidem misericordia afflicto convenit, sed non cum litigat, sed cum obsecrat: si autem preces in accusationem vertat, iustitia misericordiae anteponenda est: neque enim jus corrumpi iustum est. »

Merito igitur illi a Domino eliguntur in principes et iudices populi, quorum talis indoles est, ut nesciant aliud quid preter meritum dignitatem respicere. De ipso Deo, qui essentialiter et a propria natura iudex est, ait Ecclesiasticus cap. xxxv, 13: « Dominus iudex est; et non est apud illum gloria personæ, » hoc est, ut digna gloria videatur persona non habet id ex eo quod adjuncta sit principi, nec ex alio aliquo principi

adjuncto, sed ex valore proprii meriti. Id quod pulchro exemplo explicabat Egidius Diaconus lib. De Reg. princ. dum ait: « Ne sit specularis, sed opacus principis. » Natura speculi est, quod referat colorum facies; sed si quæras quas facies referat speculum; an pulchras, an deformes? in candido colore lucentes, an fuscæ? Sæc speculum parum curat hæc differentias, illa que magis vicina et adjuncta est speculo a se illo representabitur, quæcumque sit, cæteris omnibus quavis excellentia præstantibus prætermittis. Dum Æthiops speculo adhaereat Phœbum ipsum vineat; quia representatio non agitur ex his que ad valorem pulchritudinis conducunt, sed ex his que apud speculum sunt. Optimus ergo iudex cavet, ne speculum sit, hoc est, ne apud illum sit gloria personæ; nec persona in illo gloriosa appareat ex eo quod vicina seu magis adjuncta sit, sed ex eo quod dignior. Expende modo quales snt illi iudices, qui in præriorum societatem eos solos admittunt, qui cives et vicini sunt: hi non a natura, non a Deo iudices sunt, sed ab artibus humane malitia inventi instar speculorum. Quos autem facit aut Deus aut natura principes et iudices, non speculares, sed opaci existunt, qui nec vicinos agnoscent, nec facile contra veritatem franguntur: quippe speculares illi ut habent instar speculi, quod ab adjunctis et vicinioribus præconcentur, ita similiter habent instar speculi, quod vitri sint, et vel levi munere corrumpantur. Id quod affirmat Veritas ipsa dicens Prov. xxvii, 21: « Qui cognoscit in iudicio faciem, non bene facit iste: et pro buccella panis deserit veritatem. » Novit sane Spiritus divinus affectus humanos, et qualiter inter se conjuncti sint; et si asserit hæc duo esse conjuncta in malo iudice, et cognoscere faciem, et pro buccella panis deserere veritatem. Sed non talis Deus, qui personam non accipit tyrannorum et principum, si quando cum paupere controversiam inierint: quia ut creator est omnium, sic etiam omnium æque curator est, et sicut leges statuit, sic etiam illarum est custos et vindex.

20. SUBITO MORIENTUR, ET IN MEDIA NOCTE TURBANTUR POPULI, ET PERTRASSANTUR, ET AUFERENT VIOLENTUM ABSQUE MANU. — Tantum abest ut tyrannos et potentes homines revereatur, si contra pauperem inique disceptent, ut per ipsos pauperes gravissimo nonnunquam eos supplicio constringat: contingit enim aliquando iniquis modis a tyranno ignobile vulgus oppressum, ut subito in eum veniat, magnoque tumultu in civitate excitato, nocte intempesta ipsum quaerat, et inveniatur, facileque, nemine ei auxilium ferente, vitam crudeliter auferat. Hoc enim significat hebraismus ille absque manu, id est facile: ita Julio Cæsari, Neroni, Hellogabalo aliisque regibus et imperatoribus evenisse memorie proditum est; ut bene cecinerit Juvenalis Satyr. 10:

Ad generum Cæsaris sine caede et vulnere pauci Descendunt reges et sicca morte tyranni.

Judex non specularis, sed opacus.

Corrupti iudices speculis sunt similes.

Vers. 20.

Tyranni a suis popularibus opprimuntur.

Vers. 21 et 22.

Quia Deo omnia patent, non potest in iudicio errare.

Tyranni ut plerumque male personam.

Septuaginta vero interpretes hanc sententiam, quam et hebraea verba declarant, prætermiserunt, et aliam textui quidem aptam ejus loco posuerunt, que sic habet, καὶ ὁ θεὸς ἀποκρίσεται τὸ κερταίον αὐτοῦ διὰ τῆς ἀδικίας ἀποκρίσεται τὸ δίκαιον αὐτοῦ ἀδίκων, frustra autem usu veniet et clamare et precari virum, cum inique usi fuerint potestate exclusis infirmis, id est, tanta integritate et severitate Deus jus d'et principibus atque tyrannis, ut nullis clamoribus nullisque eorum precibus flectatur, necdum quidquam eorum personam revereatur. Et jure quidem optimo tam severe cum iis se geret, qui tam inique potestate quam habebant sunt abusi, pauperes et infirmos homines partim in exilium partim e vita expellendo. Non desunt tam in sacra quam in profana historia exempla eorum, qui dum imperium exercent tyrannicum, facto in eos populari impetu mortem obierint non incrementam, sicut paulo ante citatus de principum fato cecinit Juvenalis. Dicuntur autem hi absque manu periisse, quia externas cogere acies et alienas manus conducere necessarium non fuit ad reges extinguendos, cum satis in illis arderet domesticorum et subditorum odia, qui in communem hostem incredibili conspiratione conspirarunt; aut quia eo adegerunt reges pessime de sua republica meritos, ut antequam irruerent hostes, mortem anteverterent, et sua sibi manu mortem consciscerent. Qualis in annalibus sacris traditur fuisse Zambri rex Israel III Reg. xvi, 18, qui cum videret se urgeri a potentiori hoste, et omne desperaret effugium, ingressus est palatium, et succendit se cum domo regia. » Quod item fecisse Judeos tradit Josephus lib. III De Bell. Jud. cap. xiv; et idem de Sardapapalo scribit Justinus lib. I. Vel fortasse absque manu dicitur auferendus tyrannus, quia illum infernus dolor et subitus exstinguet, non vis extrinsecus allata: ita Sanctus et Sunita. Neque obstat huic tremendo iudicio multiplex dolus et ingeniosa scelerum occultatio.

21 et 22. OCULI ENIM EJUS SUPER VIAS HOMINUM, ET OMNES GRESSUS EORUM CONSIDERAT. NON SUNT TENEBRÆ, ET NON EST UMBER MORTIS, UT ABSCONDANTUR IBI QUI OPERANTUR INIQUITATEM. — Oculi enim ejus super vias hominum, etc.: hoc gravissimum et firmissimum argumentum est ad probandum Deum non subversurum iudicium: ab hominibus enim ob eam rem subvertitur, quod eos res multa lateant, neque tacitas cogitationes et animus impii hominis iniquum penitus cognoscant; facileque eorum mentis acies externa auctoritate et divitiarum splendore perstringitur, ut secundum divitem sceleratum judicent: quam ob causam boni viri vehementer reformidant in hominum iudicium sceleratis hominibus contendere. At non ita, inquit Eliu, in Dei iudicio accidit: nihil enim eum lateat, sed omnes omnium hominum gressus et vias, id est vivendi rationes, ei patent: quare minime in iudicio errare potest: « Tu autem Domine

Sabaoth, qui iudicas juste, et probas renes et corda, » dicebat Jeremias cap. xi, 20, significans conjuncta et consequentia esse illa, scilicet, juste iudicare, et probare renes et corda. Hæc de re luculentissime disserit Iude Sapientiae dum ait cap. 1, 7: « Quoniam spiritus Domini replevit orbem terrarum, etc. Propter hoc qui loquitur iniqua non potest latere, nec præterit illum corripiens iudicium. In cogitationibus enim impii interrogatio erit: sermonum autem illius auditio ad Deum veniet ad correptionem iniquitatum illius. Quoniam auris zeli audit omnia, et tumultus murmurationum non abscondetur. » Jeremias etiam ait cap. xvii, 9: « Prævum est cor omnium et inscrutabile, quis cognoscat illud? Ego Dominus scrutans cor, et probans renes: qui do unicuique juxta viam suam, et juxta fructum adinventionum suarum. » Vide que ad cap. xiv, 16 de hoc argumento diximus. Eodem spectat illud quod sequitur: Non sunt tenebræ, et non est umbra mortis, ut abscondantur, etc., id est, nihil quantumvis occultum latere potest eum qui omnia fecit, et omnia conservat: nam, ut Paulus ait Hebr. iv, 13, « non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus: omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus. » Dei enim visus perspicacissimus cum sit, in ipsis antris latentem peccatores aperte cernit, adeoque severe plectit, ut nullum redeintegrandi iudicii locum eis relinquat. De hæc Dei perspicacitate etiam occulta cordis penetrare videmus que cap. x, 4, cap. xxxi, 2 et 13, cap. xxiv, 15 notavimus.

23. NEQUE ENIM ULTRA IN HOMINIS POTESTATE EST, UT VENIAT AD DEUM IN IUDICIO. — Cum igitur Deus abditissima quæque videat; neque homo peccator aliquid ad Dei iudicium adferre possit novi, quod ille non viderit, non est cur speret retractatum iri iudicium, quod tunc fieri assolet in humano foro, cum nova accedit rerum cognitio, que de priori consilio aliquid mutet. Non ergo est ultra in hominis damnati potestate, ut in iudicium Dei rationes novas producturus revertatur. Ex quo profecto efficitur, ut Deus nullo modo iudicium pervertat, cum non sit regressus vel appellatio ab ejus sententia, ut esse deberet, si ulla culpa in jure dicendo fœderi posset. Septuaginta ex Hebraeo vertunt, ἐν τῷ τῷ ἀδικῷ δίκαιον ἐστὶν ὁ θεὸς κρίνων δίκαιον, ἵνα ἐκείνῳ ἐπιπέσῃ, quoniam super virum non potest ultra: Dominus enim omnes inspicit: exponunt Græci, quod post mortem non sit amplius in hominis potestate electio agendorum. Symmachus, ἐν γὰρ ἐν ἀποπέμπῃ δίκαιον ἐστὶν, non in homine situm est amplius. Quidam vero sic accipiunt, quasi Deus hominibus non amplius oneris quam debeat, aut quam ipse homo ferre possit, imponeret; sed cum continuus series textus de iudicis agat, de iisdem explicandum est: nempe hominem non posse Dei sententiam reddere irritam, aut arguere iniustitiam. Et quamvis possemus Deum in jus vocare, ipseque nobis respondere teneretur, et eorum que agit reddere rationem, nobisque liceret ad ipsi

Nid Deo occultum.

Vers. 23. Iudicium Dei immutabile et inscrutabile.

resistendum os aperire, id tamen nihil profutura: nam tandem rationibus et calculis diligentibus subducis invenietur Deus non nequaquam nimis et prater æquum premere. Cur? quia peccata nostra ipsi penitus cognita sunt, et ita explorata, ut castigatōnis eriam, quam meremur, mensuram exacte notat; quæ delicta minime excedit, adeo ut Deus necessario justificetur in semetipso, et semper vincat cum iudicari. Caveamus igitur nobis hoc sumere, ut litem adversus ipsum suscipiamus: quamvis enim speciosam causam coram hominibus habeamus, quando coram Deo comparandum erit, in iis omnibus quæ obijcere et in medium altere volumus confusi erimus.

VERS. 21. **DEUS PRO FACIET ALIOS PRO EIS.** — Hinc contra principes et tyrannos diantur, quorum Deus non accipit personam: de quorum numero putat esse Jobum, quem hoc loco et hæc oratione præcipue pungit Eliu: ait igitur in Deo eam esse potentiam, eam in tyrannos virosque opibus atque auctoritate principes libertatem, ut illos momento temporis de solio depellat; et alios eorum loco cum eadem aut etiam majore auctoritate sufficiat. Quod accidisse affert Jobo, aut illi eventurum esse minatur. Configisse porro hæc aliquando ante Jobi seculum verisimile est, licet id ignoremus. Aliis deinde temporibus sic accidit frequenter, ut la-

bis videret utrosque offendi id velle confirmare. Porro hæc non solum in tyrannos et principes seculares dicuntur qui potestate sua abutuntur, verum etiam in malos pastores et iniquos sacerdotes in primis quadrant, a quibus sacerdotium auferendum significatur. Quem sensum D. Hieronymus ex illis verbis elicit hanc comminatoriam sententiam illustrans exemplis de Heli et Samuele, de Saule et Davide, de Judeorum populo et gentium, quorum alios de sua dignitate dejecit, alios eis successuros excitavit. Aliquam incuriam saltem leviorum circa oves gubernandas incurrit olim episcopus Ephesinus, juxta illud Apoc. II, 4: «Charitatem tuam primam reliquisti,» hoc est, interprete Hugone, reliquisti tuam illam pristinam diligentiam in tuis gregibus pascendis, quamvis in tuis moribus gubernandis laudabilem te exhibeamus; quam igitur penam illi Deus comminatur? «Mmor, inquit Apoc. II, 5, esto unde excideris: et age penitentiam: et prima opera fac: sin autem, venio tibi, et movebo candelabrum tuum de loco suo;» ubi *candelabrum* nomine episcopalis dignitas intelligitur. Non dixit *destruam*, aut extinguam, sed *movebo*, hoc est, a te in alium transferam, qui tuam negligentiam resarciat et instauret, et quem tu intuenti tuo munere donatum multo magis crucieris.

Verisimum igitur fuit illud oraculum Eliu de divina providentia dicentis: «Conteret multos innumerabiles, et stare faciet alios pro eis.» Quibus verbis non solum multitudinem negligentium prelatorum exaggerat vocando *innumerabiles*, sed

Dignitas amissis debetam ignavia parassipicium.

Aegligentes prevalati officio splicandi.

etiam potentiam et opes, vocando *multos*. Non enim sensus est fuisse multos numero, sed fuisse fastu et majestate præcellentes, ut Pineda noster advertit; nihilominus eos omnes ait a Deo deturbandos, neque defuturos, qui ex pulvere assumpti in eorum locum excitentur; causam vero tanti supplicii fuisse, quia oves non pascebant, sed perdebant, quas ad clamorem apud Deum querelarum plenos excitandos sua perversa dominandi libidine provocabant, id quod significat dum paulo post subdit cap. XXIV, 28: «Ut pervenire facerent ad eum clamorem egeni, et audiret vocem pauperum.» Hoc infortunium vaticinatus est David Jude proditori *Psalm. CVII, 8:* «Episcopatum, inquit, ejus accipiet alter:» quam enim ille indignissimus amisit dignitatem, Matthias dignissimus recepit; scilicet pastoris munere spoliari oportebat eum, qui lupos in dominicum gregem incitabat, et qui divinum illum agnum Christum dominum laporum favillam ingerebat, non pastoris, sed tortoris munere fungebatur. Cæterum Septuaginta locum hunc ita vertunt, ἡ καταρχὴν ἀντιπροστατα, ἰδού τιν, καὶ ἕξαινα, ἅν οὐκ ἔστιν ἀπόβη, qui comprehendit non investigabilia, et gloriosus, et magnificus, quorum non est numerus: in Hebræo est, conterit fortes absque investigatione sive inquisitione. Quod sicut de numero accipi potuit, ita etiam, inquit Pineda, nihil obstat, ut ad occultum Dei iudicium nobis incognitum et inexploratum referri possit, q. d. Principum interius et intereundi cause in Dei rationario sunt; nos non sumus eorum iudices, sed Deus, quem minime latet: explorata ille habet corda regum inscrutabilia, et mille finibus flexionibusque prava. Quare Deo non opus est more iudicium terrenorum inquisitione uti: sunt enim illi creature; inquisitio est in ipsis ignorantia; mediis igitur illis utantur oportet, neque enim divinae possunt. Quia vero omnia Deo patent, ipse homines, etiam non servato ordine, qui hic inferius in iudicis humanis locum habet et servatur, iudicabit: cum enim homines aliquem in iudicio publico condemnant, modus et forma iudiciorum usitata observatur, ita ut tota res vulgo innotescat, elogium et titulus rei divulgetur, ab eo perpetrata crimina cognita sint, et quomodo convictus fuerit declaratur. Sed Dei potentia et auctoritas ejusmodi legibus humanis non est adstringenda; quia conterit sine inquisitione, hoc est, non declarata nobis causa; omnia tamen cum æquitate et iustitia facit.

Tropologie S. Gregorius lib. XXV *Moral. cap. vii*, hinc nos ad humilitatem adhortatur dicens: «Hæc sententia, qua narratur aliorum ergi, aliorum autem vita confringi, et spes nutritur humilium, et elatio premitur superbiorum, dum et illi bona possunt amittere, de quibus superbiunt, et isti ea percipiunt, que, quia non habebant, contemuntur. Formidamus igitur in his que accipimus; nec eos qui illa necdum assecuti sunt despiciamus. Quid enim sumus hodie novimus, quid

Juda apostolatum amicit.

Deus non tenetur uti forma iudicium terrenorum.

Et aliorum la-pa ad humilitatem erof mun.

autem post paululum possimus esse nescimus; hi vero, quos fortasse despiciamus, et tarde possunt incipere, et tamen vitam nostram ferventioribus stadiis antere. » Hoc nimirum est quod angelus episcopum monet dicens *Apor. III, 11:* «Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam;» quem locum Rupertus in *Comm. suis* explanans: «Quid est, inquit, istud?» et mox respondens subdit: «Hoc nempe: Tu in humilitate firmo pede consiste, ne moto pede corraas, et corruendo coronam tibi preparatam amittas, et alius in locum tuum succedens illam accipiat, quapropter David rogabat Dominum dicens *Psalm. XVI, 5:* *Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea.* Et quidem hoc fieri non potest, ut perdat coronam quisquam eorum quos Deus præservit, et ad coronam prædestinavit: verumtamen et fieri potest, et factum est, ut is coronam perderet. quem Deus ad coronam vocavit vocatione visibili, sive quæ ab hominibus potuit videri. Nam exempli gratia. Judam Dominus ad coronam vocavit apostolicam, quem tamen ad coronam non prædestinavit, quia corona indignum fore præservit; unde et coronam ejus, scilicet apostolatus honorem, alius accepit, in locum ejus successit Matthias, sicut in *Psalm. CVIII, 8* scriptum est: *Fiant dies ejus pauci, et episcopatum ejus accipiat alter,* quod B. Petrus de Juda interpretatus est *Act. I, 20*. Nemo itaque quamdiu certat, animum de corona confidat: quia si omnium præservit Deus te in fine dignum corona fore scilicet, tu tamen necis.»

Hinc D. Thomas I, *Quæst. XIII, 6*, disputans an prædestinatio sit certis, cum ex loco Apocalypsoe supra citato argumentatus esset, non videri certam, quia corona, que est prædestinationis effectus, potest amitti, et ab uno in alium transferri, sicut dicitur in dicto loco Apocalypsoe: ad hoc ipse respondens ait dupliciter coronam dici alicujus: uno modo ex divina prædestinatione, quod is sit ab æterno prædestinatus a Deo ad coronam celestem; et sic nullus coronam suam amittit, dicens Augustino lib. *De Bon. Persn. cap. xiv*: prædestinationem esse præscientiam et præparationem beneficiorum Dei, quæ certissime liberantur quicumque liberantur. Alio modo dicitur corona esse alicujus non ex divina prædestinatione, sed ex merito gratiæ, quam ille habet: quod enim meretur quodammodo nostrum est; sic autem quis potest amittere coronam, perdendo scilicet meritum suum propter lapsum in peccatum mortale. Alius vero c. quam illam amissam dicitur accipere, eo quod in locum ejus subrogatur: non enim permittit Deus aliquos cadere, quin alios in eorum locum erigat, secundum illud quod hic ait Eliu: «Conteret multos et innumerabiles, et stare faciet alios pro eis:» sicut in locum angelorum cadentium substituti sunt homines, et in locum Judeorum gentiles. Præclarum hujus rei exemplum habemus in illis 40 mar-

Quomodo possimus perdere coronam nobis preparatam.

Quomodo quis accipiat coronam alterius.

tyribus, quorum natalem martyrill celebrat Ecclesia 9 martii. Substitutus autem in statum gratiæ loco alterius, etiam quantum ad illud coronam accipit illius cadentis, quod de bonis que alius fecerat in æterna vita gaudebit: ubi quisque gaudet de bonis operibus tam a se quam ab alio quolibet factis. Ita D. Thomas.

25. NOVIT ENIM OPERA BONA: ET IDEO INDUCET NOCTEM, ET CONTERENTUR. — Non ignorat Deus quales fuerint futurique sint in posterum hi tyranni ac principes, atque ideo, ut universi administrationi provideat, illos conterit, ut meliores substituat; ideo illorum splendori noctem obducit, et eos qui antea erant gloriosi reddidit inglorios, deposita corona, et assumpto gregali atque servili sacco, aut sublatis de vivendum numero: id enim valet *nox*, in qua eruminosum aliquid quocumque in genere significatur. *Inducere ergo noctem* idem est ac inferre mortem, quem admittit hujus vite lux; vel certe idem hoc loco valet *nox* quod stupor aut ignorantia, quem excecant homines quantumvis acutos et solertes, ne quid faciant prudenter, sibi que caveant ab impendentem malo, quod indicat S. Thomas ad hunc locum. Septuaginta vertunt, ὁ προσκεῖται ἄνθρωπον τὴν ἑσπέρα, καὶ ἐσφίλει ἄνθρωπον, καὶ τὴν ἀβύσσον, qui cognoscit eorum opera, et certat noctem, et humiliabuntur. Sautes interpretatur, cognoscere faciet: nam προσκεῖται tam potest reddi cognoscens quam nota faciens, utrumque enim hoc verbum significat. Sed ambigua reducenda sunt ad veritatem hebraicam, ideo bene vertit interpret romanus, qui cognoscit, quantumcumque et illud, qui nota reddidit, id est, facit ut ab omnibus eorum scelera cognoscantur, sententiam contra non inolegantem, uti et illud quod addit: *Et vertet noctem*, id est, quam cito diem convertit in noctem, tam cito conterentur ab eo improbi: sic in Proverbis dicitur *Prov. XII, 7:* «Verte impios, et non erunt,» hoc est, citius quam veritas eos peribunt improbi.

26. QUASI IMPIOS PERCUSIT EOS IN LOCO VIDENTIUM, **VERS. 9** — id est manifeste percussit eos omnibus videntibus, et justam Dei vindictam cognoscentibus: locus enim videntium locus patens, frequens, celebris, omnium oculis expositus est: significat itaque tyrannos publice a Deo puniri in conspectu omnium, et eorum supplicium terrorem alios esset et exemplo: cum enim Deus puniit peccatores, id non fit eo duntaxat, ut peccata ab illis commissa unusquisque cognoscat, sed ut omnes inde exemplum capiant, juxta illud *Isai. xxxvi, 9:* «Cum feceris judicia tua in terra, justitiam dicent habitatores orbis.» Non frustra igitur ait Deum percussisse impios in loco videntium, id est in oculis hominum, quo admonemur, ut attentiones nos præbeamus ad diligenter notanda et observanda Dei judicia: magna sane est hæc gratia, quam nobis concedit, cum nos aliorum damno vult erudire; si autem tunc claudimus oculos, et stupidi sumus, quis excusationi locus erit? Quo-

VERS. 21. Deus tyranos conterit ut meliores substituat.

NOX syn bolam calamitatis et ignorantia.

Locus videntium quis.

fiescumque igitur Deus peccatores punit, attendat unusquisque pro parte sua, et communem inde instructionem capiat, ne flagellorum istorum fructus in se perat: certe si ex eo quod Deus nobis ante oculos ponit ad nostrum fructum et utilitatem applicarem, unius castigatio ad sexcentorum instructionem prodere possit; sed quoniam instructiones et documenta, quae Deus nobis proponit, sine fructu praeteriri sinimus, et ea negligimus, unusquisque suo ordine vocatur, et singuli nos sistamus oportet. Unde sequitur:

Vers. 27. QUI QUASI DE INDUSTRIA RECESSERUNT AB EO, ET

Poenitentiam non habuerunt. — Taxat eos qui prudentes et scientes Dei legem neque servare neque intelligere voluerunt; sed ignorantiam affectant, ne vitam corrigant, ultroque supprimunt omnem delectum boni et mali, quia meliores esse nolint: scimus rationem ad bene agendum hominibus ducem esse; eam reprobi fugitant, ne vitam suam in melius corrigere cogantur. De talibus autem S. Dionysius Areopagita *Ecles. Hier. cap. iii.*, loquens: «Impudent, inquit, salutarem divinam cognitionis disciplinam repudiatur, eloquiisque sacris exitiose prorsus obstrepunt, *δὲ οὐδὲν αὐτοῖς οὐκ ἴσθῳσιν, νῆς τῆς θεοῦ ἴσθῳσιν*; quibus propterea jure merissimo Dominus viceissim his verbis repulsam minatur *Ose. iv. 6*: «Quia tu scientiam repulisti, repellam te, » quod extremum est exterminium, et malorum omnium gravissimum. Hujusmodi homines aptissime Apostolus *Ephes. iv. 19*, vocat *desperantes semetipsos*: in Graeco est ἀπαραισῶτες, D. Hieronymus verit *indolentis*, qui videlicet de nequitia et maleficio nullum dolorem concipiunt. Et quoniam placuit semel gnaritis fieri impudentes, non pseudothyro, sed apertis januis omnes introrunt voluntates; et male agendi consuetudine non feruntur in malum, sed ruit: «Quibus, ait S. Paulinus epist. 7 ad Sever., dulce est quod amarum, et turpe, quod castum, et hostile quod sanctum. » Quare non miror, quod cum in suum et aliorum exitium desperata mente raptiantur, D. Apostolus eos nominat *desperantes seipos*, ut qui medicinam omnem respiciant et proculcunt: loquuntur enim de illis qui non solum precepta Dei violant, sed etiam perditii sunt, et religionem contemunt, et nomen abnegant, qui non indebitas sceleribus suis poenas lunt.

Vers. 28. UT PERVENIRE FACERENT AD EUM CLAMOREM

EGENI, ET AUDIRET VOCEM PAUPERUM. — Hic Elix speciem peccatorum notat, quam Deus in hominibus punit, et quidem omnium maxime evidentem: cum enim violentiae committuntur, alienae opes diripiuntur, et qui affliguntur, omni ope et auxilio humano desituntur, ad Deum clamant, querele audiuntur, nunquamque ipsorum commiseratio capit, sed in primis Deum, qui voces eorum non gravate audit, et ulciscitur injurias. Neque enim inultos relinquet eos, qui injuste pauperes afflixerint et vexarint; verum quidem est

tyrannos ad male agendum audaciam et licentiam sumere, cum vident pauperes omni presidio destituti, neminem iis opitulari, cognatis et amicis carere; quae causa est, cur se ad omne scelus projiciant, et quidlibet sibi licere putent. Sed diligenter notemus diem Deum ipsorum *causam suscipere*, atque ita, quo magis pauperes omnibus injuriis, nemine ipsis opem ferente, expositi fuerint, eo majorem Deus se ostendit ipsorum curam gerere, ut illos ulciscatur. Et quamvis pauper injuriam sibi factam patienter ferat, clamor tamen ejus ad ocelum pervenit, isque a Deo exaudiatur. Quod sane pauperibus debet esse maximo solatio, quod se videant in Dei protectione esse; et si ipsos improbi vexent et affligant, Deum tamen iis invigilare, et tandem ostensurum, se nunquam illos oblivioni tradidisse. Vide quanti pauperem Deus faciat: clamat ille, et exauditur: pergit scilicet secum paupertatem, cujus in gratiam Deus majestatis se inclinatur. Hinc illud egregie dictum a S. Ambrosio *Apolog. cap. xi*: «Bona paupertas, quae si thesaurus non habet pecunie, habet tamen thesauros sapientiae et scientiae. Nolite filii viles despiciere paupertatem: *Pauper clamavit, et Dominus exaudivit eum*, Psalm. XXXIII, 7. Nolite quasi magnis invidere divitiis: divites eguerunt, et esurierunt: » sic ille. Caeterum pauperes hic vocantur non tam pecuniis egeni, quam omni auxilio et robore destituti. Ait ergo istiusmodi tyrannos usque eo immites et crudeliter erga pauperes se exhibere, ut Deus pauperibus subsidio adesse decerneret, et acriter in tyrannos istos animadvertere, sicut ait David *Psalm. ix. 13*: «Quoniam requirens sanguinem eorum recordatus est; non est oblitus clamorem pauperum. Quoniam non in finem oblivio erit pauperis: patientia pauperum non peribit in finem. » Ad quem Psalmi locum vide quae annotavimus tom. I *Expos. Patr. Graec. in Psalm.*, item ad *Psalm. xi. 6* et *Psalm. xxxiii. 7* et *Psalm. xl. 2*: quae omnia hunc locum illustrent.

29. IPSO ENIM CONCEDENTE PACEM, QUIS EST QUI CON-

DEMNET? EX QUO ASCONDERIT VULTUM, QUIS EST QUI CONTEMPLER EUM ET SUPER GENTES ET SUPER OMNES HOMINES? — Quoniam de supplicio impiorum egit, et praec. vers. salutem quoque piorum attigit, aple utrumque hoc versu conjungit, docens in Dei potestate esse et pacem facere, et bellum inferre, et perdere, et servare, ita ut nemo possit eam pacem et salutem impedire, quam attulerit ipse; nemoque illam calamitatem depellere, quam ipse conflaverit. Eadem doctrina, licet aliis verbis *Apoc. iii. 7* et *Isai. xxxi. 22* traditur: «Qui aperit, et nemo claudit: claudit, et nemo aperit: » hanc enim pacem firmissimam Christus mundo reliquit dicens *Juan. xiv. 27*: «Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: non quomodo mundus dat, ego do vobis, » quam scilicet nulla vis, nulla tanta mundi et inferni potentia infringere ullo modo aut debilitare potest. Dicit enim non

potest, quam tuta et tranquilla sit ea pax, quae optimorum consiliorum conscientia et Dei subsidio nititur; contra vero illud exitum insanabile, cum se nobis Deus immutat, et a nobis multum abscondit, ut dicit Elix. Quod quidem perditii mores et sceleris conscientia comparat. Abscondit autem vultum signum irae, sicut ostensio benignitatis: quam observasse videtur, qui dixit *Psalm. lxxxix. 4*: «Osende faciem tuam, et salvaberis. »

Abconditio vultus est signum irae.

ET SUPER GENTES ET SUPER OMNES HOMINES. — Clare significat, hanc tutam et integram salutis conservationem non solum homines singulos, sed etiam civitates et regna, provincias atque nationes a Deo habere; ita ut incolumitas republicae et felix ejus status Deo in primis sit acceptus reverendus; et ob eam rem dicebat David *Psalm. cxlvii. 1*: «Lauda Jerusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion. Quoniam confortavit seras portarum tuarum; benedixit filiis tuis in te. Qui positus fines tuos pacem, et adipe frumenti satiavit te. » E contrario vero si Deus republicam non respiciat, sed vultum abscondat, in eas ingruent calamitates, quae nullis consiliis dimoveri possint. Quam utilissimam doctrinam ut facilius disceret Jeremias, et aliis traderet, jussit eam ire in domum figuli; ubi vidi figulum dissipantem vas quod in manibus habebat, et deinde ex eodem luto aliud sicut placeverat ei facientem; ac deinde Deus hoc Jeremias reddidit responsum *cap. xviii. 6*: «Numquid sicut figulus iste non potero vobis facere domus Israel, ait Dominus? Ecce sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea, domus Israel. Repente loquar adversum gentem et adversum regnum, ut eradice, et destruum et disperdam illud, etc. Et subito loquar de gente et de regno, et aedificem et plantem illud, » etc. Salus igitur et incolumitas potius officii muneribus quam copiis praesidiis praestabitur. Neque ulla major regni ruina est quam rex iniquus, qui Dei iram improbis suis facinoribus provocare non dubitat; quapropter sequitur:

Vers. 30. QUI REGNARE FACIT HOMINEM HYPOCRITAM PROP-

TER PECCATA POPULI. — Facit (id est permittit, sciens licet Deus) regnare hypocritam, id est principem tyrannum, qui sub purpura et tiara corruptos et pueriles mores et effeminalium animum gestet; sicut illudat populis suae curae commissis: significant enim hypocritae non dissimulatores modo, sed etiam illusores, de quibus Isaias ait *cap. xxviii. 14*: «Audite verbum Domini viri illusores, qui dominamini super populum meum. » Magnam sane Dei supplicium est, et in scelerum poenam populis inflictum, cum permittit eis scelestos principes praesse: nam, ut bene Origenes *hom. 4 in Judic.* annotavit, «non semper principes populi et Ecclesiae iudex per Dei arbitrium datur; sed ut merita nostra deponent. Si mali sunt actus nostri, et operamur malignum in conspectu Domini, dantur nobis principes secundum

cor nostrum; » et statim rem confirmat ex illo oraculo *Ose. viii. 4*: «Ipsi regnaverunt, et non ex me: principes existerunt, et non cognovi: » quod de Saule interpretatur, «quem, inquit, ipse Dominus regem fieri jussisset; sed quoniam non secundum voluntatem Dei, sed secundum peccatoris populi meritum fuerat electus, negat eum sua voluntate vel consilio constitutum. » Idem Origenes lib. IX in *Rom.* paulo post initium ad illa verba ex *cap. xii*: «*Quae sit voluntas Dei, etc.*, distinguit voluntatem benevolentem et irascentem: » Dei, quidem, inquit, voluntas semper bona est; sed non semper ejus bona voluntate dispensari mereretur, neque benevolentem et perfectam, v. g. Ut ungeretur Saul in regem fuit quidem voluntas Dei, sed non benevolentem, neque perfecta: irascens enim paupulo, qui recusaverat Deum habere super se regem, regem eis hominem jussit institui. » Divus similiter Augustinus in *Psalm. lxxxii* Saul de Saul initium: «Saul, inquit, rex non ad permittit voluntate electus fuit a Domino, sed secundum populi cor durum et malum datus ad eorum corruptionem, non ad utilitatem. secundum illam sententiam: *Qui regnare fecit hominem hypocritam propter peccata populi.* » Idem sanctus Doctor lib. V *Contr. Julianum.* cap. ii vocat *Saule peccantem peccantium*, hoc est, datum in penam iis qui Samuelem contempserunt, et regem postularunt. D. Cyprilianus epist. 38 ad *Rogat.* locutus de peccato populi Samuelem contemnentis, «ut tu, inquit, ulcisceretur Dominus, excitavit eis Saul regem, qui eos injuriis gravibus affligeret, et per omnes contumelias et poenas superbum populum calcaret et premeret, ut contempus sacerdos de superbo populo ultione divina vindicaretur. »

S. Sixtus III, Pontifex Maximus in lib. *De Divit. Boni et mali*, «bonum definit, quod a Deo principium sumperit; non bonum vero, cujus exordium non Dei a dignatione, sed humana praesumptio censeatur, » et exemplo rem ostendens: «Ut rex, inquit, Israel, quem non tam Dei voluntate quam populi pravitate legitimus ordinatum. » Ubi etiam significat male petium regem in male petentis populi vindictam divinitus concessum. Clemens in *vin-*

Duplex Dei voluntas, benevolentis et irascentis.

Saul rex ad corrumptio-

Saul po-

Saul po-

Dens tra-

peissimos reges male petentibus in furore datos : « Non quod Dominus, inquit, tales eos voluerit habere reges; sed quod dimiserit eos voluntatis suis; ut comedentes et incrassati carnibus nasearent, et evomerent per nares suas, et odisse inciperent eos, quos tanto studio sequebantur. » Nec mirum, reges Israel datos a Deo in penam populi, cum de aliis quoque regibus Patres universales loquantur, idque pariter testentur: permittunt enim a Deo etiam in aliis populis fieri mali reges, ut sub his mali subditi puniantur. D. trenaues lib. V, cap. xiv. : « Cujus, inquit, jussu homines nascuntur, hujus jussu et reges constituuntur; apud his qui in illo tempore ab ipsis regantur: quidam enim illorum ad correctionem et utilitatem subjectorum dantur et conservacionem justitiae; quidam autem ad timorem et penam, et increpacionem; quidam autem ad illusionem, et contumeliam, et superbiam. » D. Gregorius lib. XXV Moral. cap. xiv expendens illud: Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi, illum hypocritam interpretatur Antichristum, qui sanctitatem simulat, ut ad iniquitatem trahat; et statim ad rem presentem: « Nullus, inquit, qui talem rectorem patitur, eum quem patitur accuset, quia nimirum sui fuit meriti pergeris rectoris subjacere ditioni: culpam ergo proprii magis accuset operis quam injustitiam gubernantis. » In quoniam sententiam late spatiat D. Isidorus Hispanalis lib. III Sentent. cap. XLXIII, ex verbis Apostoli Rom. xii, 4: « Non est potestas nisi a Deo, » recte colligit bonam malamque potestatem a Deo ordinari: « Sed bonam, inquit, propitio malam irato; » et ulterius pergens: « Reges, inquit, quando boni sunt, muneris est Dei; quando vero mali, secleris est populi. Secundum enim meritum plebium disponitur vita rectorum; quod probans ex Jobo et Osea citatis concludit: « Irascetur Deo talem rectorum populi suscipiunt, qualem pro peccato merentur. »

Huc spectat illa Dei comminatio Zach. xi, 46: « Ecce ego suscitabo pastorem in terra, qui derelicta non visitabit, dispersum non quaeret, et contritum non sanabit; et id quod stat non enutriet; et carnes pinguium comedet, et ungulas eorum dissolvit. O pastor et idolum derelinquens gregem, gladius super brachium ejus, et super oculum dexterum ejus. » Suscitabo, inquit, id est, suscitari, et vires ad regnandum assumere permittant, qui derelicta non visitabit, hoc est lassa et aegrotantia pecora, qua inter ambulandum reliquum gregem asequi non valent, certo loco relinquuntur a pastoribus, et postmodum requisita caeteris adjunguntur. Contritum vero vocat oves, quae pedes fractos aut luxatos habent; id vero quod stat, hoc est, quod subsistit, et ambulare nequit, cui necesse est ut cibus adferatur a pastore; vel certe significat juxta Septuaginta integras et sanas oves. Porro cum subdit: Ungulas eorum dissolvit, robusto pede diffinet ungulas, ut incedere non valeant. O

pastor et idolum, nimirum qui non regis, sed pervertis populum, et adorari vis quasi Deus, gladius super brachium ejus. Dei ultio contra fortitudinem et potentiam ejus insurgit, ut ad nihilum tandem redigatur: neque id tantum, sed contra oculum dexterum ejus veniet, hoc est, omnem in administrandis rebus providentiam perdet, et in nihilum recident omnia ejus consilia tanquam infatuata. Et vero quavis de Antichristo haec sint a Deo dicta; de iniquis tamen caeteris pastoribus et rectoribus vere etiam accipi possunt: permittit enim aliquando Deus, ut hi in pastores ac principes assumantur, quos novit certissimum lumen et perniciem subditis esse: allaturos; qui cum pastores dicantur, idola verius sunt extrinsecus praesulum imaginem praeseferentia, intus vero vana et inutilia sunt idola. An non tu hos idola dixeris, qui oculos habent, et non vident; aure, et non audiunt? Dicam clarior, qui detestanda et publica flagitia dissimulant; qui veritatem mundi audiri nolunt. Narrat Anastasius Quorst. XV, tom. I B. B. Patr. illustrata duo exempla hae tyrannicia, nec dissimulanda: « Quando Phocas tyrannus factus fuit imperator, et per Bonosum licetorem eas cepit facere sanguinis effusiones; quidam monachus in civitate Constantinopolitana, vir sanctus, et qui ad Deum magnam habebat fiduciam, cum Deo disceptabat dicens in simplicitate: Domine, cum eum fecisti imperatorem? deinde cum permultis diebus hoc dixisset, vox ad eum venit a Deo dicens: Quomodo non timeas peccatorem. Fuit etiam quaedam alia civitas in Thebaide iniqua, in qua vir quidam perniciosissimus angeli monitu electus est episcopus, qui ob id cepit apud se esse elatus et sibi valde placere. Accedens autem angelus Domini ei dicit: Cur superbis, et magnifice tibi placeas, o infelix? Revera non tanquam deus sacerdotio factus es episcopus; sed quia haec civitas tibi digna erat episcopi. » Subdit deinde Anastasius: « Quamobrem quando videris indignum aliquem principem et episcopum, ne mireris, neque Dei accuses providentiam, sed disce, et crede, quod propter nostras iniquitates tradimur ejusmodi tyrannis, et ne sic quidem a malis abstineamus. »

31 et 32. QUIA ERGO EGO LOCUTUS SUM AD DEUM, Ver. 31 TE QUOQUE NON PROHIBEO: SI ERRAVI, TU DOCE ME; et 32. SI INIQUITATEM LOCUTUS SUM, ULTRA NON ADDAM. Postquam Eliu longiore de Deo sermonem instituit, ne minus urbane aut nimis insolenter egisse videretur, quasi in iudicio constitutum permittit Jobum interloqui, ut si quid minus vere aut caute dixisse existimetur, illud aut retractet, aut explicet. S. Gregorius lib. XXVI Moral. cap. 1, in his verbis Eliu notat indolem doctorem superbiorum dicens: « In locutionibus suis hoc arrogantes viri habere inter alia proprium solent, quod ab auditoribus suis, ne quid fortasse inordinatum dixerint, tunc requirunt, cum se laudabiliter aliquid dixisse cognoscant: haec videlicet faciunt, non quo de dictis suis ambigant; sed quo ab

Mala pastor idolum est.

no et di- sicut.

Vers. 33.

Deus non expetit iniquitatem.

audientium iudicio favores quaerant. Nam inveniri facile poterunt, quo animo percunctantur, si quisquam eorum bona laudat, etiam mala reprehendant: certum quippe est, quia sicut inflantur laudibus, ita correctionibus inflammantur, et a quolibet se vel jure reprehendi despiciunt; moxque in malis suis fomitem defensionis exquirunt, » etc.

33. NUMQUID A TE DEUS EXPETIT EAM, QUIA DISPLICUIT TIBI? TU ENIM COEPISTI LOQUI, ET NON EGO: QUOD SI QUID NOSTI MELIUS LOQUERE. — Hic versus valde obscurus est, quod illius relatiivi eam non constat quodnam sit antecedens, neque illius verbi displicuit quodnam sit suppositum; ut igitur haec sensum congruentem reddant, intertextis quibusdam verbis aliis procul dubio explenda sunt. Paulo ante verus, super, iniquitatem eam, ut sensus quam respicere videtur relatiivum eam, ut sensus Eliu sit: Numquid a te, o Job, expetit Deus iniquitatem, seu ut inique sentias, iudices, et loquaris de Deo, quia ipse displicuit tibi, justo suo iudicio flagellans te? q. d. Extreme Deo displicet haec tua obmurmuratio, qua adversus Deum coepisti obloqui: ita Tirinus noster. Vel etiam hoc sensu exponi potest, q. d. An Deus exquirat, exigit, exposcit a te iniquitatem, ut propterea tibi velut injustus postulator tantopere displiceat? ita Joannes a Jesu Maria. Vel denique sic, ut sit sensus: Quia Deus tibi displicuit, et ejus de te iudicium et vindicta, ideo inique de Deo sentis et loqueris; hanc autem iniquitatem non exigit a te Deus, sed reprobat, et condemnat, q. d. Cave ne me refellendo ut iniquum ipsemet sis in Deum iniquus: etiamsi enim ego in verbis predictis locutus essem aliquam iniquitatem aut falsitatem, qua merito esset rodarguenda, illam tamen non expeteret a te Deus, non te requireret fieri iudicem meum et reprehensorem, non quaereret ipse per te vindicari de mea falsitate, eo quod ipse Deus tibi displicuit, quia ipsum Deum exosum habuisti, simulque judicia ejus execratus es, quemadmodum tuis verbis blasphemis satis indicasti. Unde cum tu prior illum oderis, et adversus eum blasphemaveris, non cupit Deus per te corrigi aut redargui, etiamsi quid ego falsum dixerim: nec ad eam rem tu videris idoneus, qui Deum tibi non placere, et male contentum te esse de ejus iudiciis aperte satis jam ante demonstrasti: tu enim coepisti hanc disputationem: tua verba blasphemae et impia, quae ab initio disputationis hucusque loqui non desisti, me ad loquendum compulerunt propter zelum justitiae Dei, quod tu blasphemans. Non autem ego prior incoepi ex memetipso hanc disputationem, sed coactus et quasi invitus loquor quae loquor; uide etiamsi quid erroneum loqui me conligerit, ero ego plus quam a excusabilis; imo in te potissimum culpa mei quoque errati recidit, qui me tuis impis sermonibus ad loquendum cogis. Nilhilominus si quid melius, verius aut certius tu

Superbe rum doctorem ingenuum et fraus ut se corripiant.

noveris quam quae ego jam dixi, aut quo putes te posse destruere ea quae jam dixi, conceditur tibi locus eloquendi et meliora proferendi. Septuaginta legunt, qui dicitur dicitur, in ei dicitur; in ei dicitur, xai vna tyb' xai i tybe, id est, numquid a te rediet eam, quia tu expelles? quoniam tu eliges, non ego: quod si nosti melius, loquere. Nonnulli codices et Polychronius habent, in dicitur, et S. Augustinus, quia repulisti. Scholias videtur legisse, in ei dicitur, quare ne repellas: ita enim interpretatur, nome tu debes reddere vices sermonum meorum? Ne igitur repellas, sed redargue quae dicta sunt. Tuum enim est eligere et iudicare, utrum bene an secus dixerim, non autem meum, qui dixi. Si quid ergo, inquit, nosti aut habes quod opponas, profer et loquere; loquitur autem in iudicio qui causam suam tuetur sive per se sive per advocatum. Tacet, qui seipsum non defendit, qui causam suam deserit, et indefensam relinquit.

34 et 35. VIRI INTELLIGENTES LOQUANTUR MIHI, ET VIR SAPIENS AUDIAT ME: JOB AUTEM STULTE LOCUTUS EST. 35.

EST, ET VERBA ILLIUS NON SONANT DISCIPLINAM. — Eliu significat se de Jobo tanquam de amente et stolido nihil curare, neque cum illo ulterius verba facere velle. « Deditagnus videlicet, inquit S. Gregorius, si Jobus loqui presumeret, qui quasi ego intelligere verba non possent: et quia non solum ad loquendum, sed etiam audiendum indignum fuisse indicavit, ait: Vir sapiens audiatur me, ac si diceret: Huic loqui iniuste conceditur, qui etiam audire verba sapientum non meretur Porro Eliu B. Jobus stulte ac sine disciplina locutum creditur: quia iustum se in suis operibus fuisse memoravit. Et verum fortasse Eliu diceret, si ea quae B. Jobus de seipso narraverat, non de illo haec eadem disciplinam auctor resimasset. Innocentem enim Jobus se asserit flagellatum, quem Deus etiam perhibuit frustra perituum. Quid ergo vox perussis superbum sonit, quae a sententia ferentis nullatenus discrepavit? Incaute sunt humiles, qui se mendacio illaqueant, cum arrogantiam vilant; imo mentiendo superbiunt, qui contra veritatem se erigunt, quam relinquunt: qui enim necessitate cogente vera de se bona loquuntur, tanto magis humilitati jungunt, quo nro et veritati sociatur. » Ita S. Gregorius lib. XXVI Moral. cap. III.

36 et 37. PATER MI, PROBETUR JOB USQUE AD FI. VERS. 36. NEM: NE DESINAS AD HOMINE INIQUITATIS. QUIA ADIT SUPER PECCATA SUA BLASPHEMIAM INTER NOS INTERIM CONSTRINGATUR: ET TUNC AD IUDICUM PROVOCET SERMONIBUS SUI DEUM. — Deum appellat Patrem; unde

Chaldaeus addit: Qui es in caelis, et jus honorem, aut decet filium, tueri admittit Eliu; obsecrat ergo Deum, cedat Jobum usque in finem vite, si in culpa persistat, vel usque ad animum sceleris, si desistat: Ne desinas, inquit, ad homine iniquitatis, hoc est, familiari phrasi hebraica, ab homine iniquissimo cadendo, affligendo et execruciando:

Eliu de Jobo tanquam amente et indisciplinate loquitur.

Eliu vult Jobum a Deo amplius appellari.

qui supra omnia peccata sua priora, quae ante Jagam istam commisit, etiam nunc adjicit aperam blasphemiam, impulando videlicet Deo injuriam, perinde quasi non suffecerint priora illa tam multa et tam magna peccata, quae ante commiserat, nisi hunc horridum illud blasphemiae scelus adjoecisset. En quam enormiter aberrat Eliu, et quam vehementer pia, ut putat, mente praecipitat: accusat Jobum et pro peccatis suis flagella meruisse, et post flagella blasphemando pe-

Quamvis Eliu aberrat a iudicio

CAPUT TRIGESIMUM QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit Eliu falso accusare Jobum, quasi dixisset, Deo cordi non esse pius pro impiis: docetque, si non Deo, certe ipsi homini, et pietatem prodesse et impietatem obesse plurimum.

1. Igitur Eliu haec rursum locutus est: 2. Numquid aequa tibi videtur tua cogitatio, ut diceres: Justior sum Deo? 3. Dixisti enim: Non tibi placet quod rectum est: vel quid tibi proderit, si ego peccavero? 4. Itaque ego respondebo sermonibus tuis, et amicis tuis tecum. 5. Suscipe caelum et intueri, et contemplare aethera quod altior te sit. 6. Si peccaveris, quid ei nocebis? et si multiplicatae fuerint iniquitates tuae, quid facies contra eum? 7. Porro si juste egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet? 8. Homini, qui similis tui est, nocebit impietas tua: et filium hominis adjuvabit iustitia tua. 9. Propter multitudinem calumniatorum clamabunt: et ejulabunt propter vim brachii tyrannorum. 10. Et non dixit: Ubi est Deus, qui fecit me, qui dedit carmina in nocte? 11. Qui docet nos super jumenta terrae, et super volucres caeli erudit nos. 12. Ibi clamabunt, et non exaudiet, propter superbiam malorum. 13. Non ergo frustra audiet Deus, et Omnipotens causas singulorum intuebitur. 14. Etiam cum dixeris: Non considerat: iudicare coram illo, et exspecta eum. 15. Nunc enim non infert furorem suum, nec ulciscitur scelus valde. 16. Ergo Job frustra aperit os suum, et absque scientia verba multiplicat.

1 et 2. Igitur Eliu haec rursum locutus est: Numquid aequa tibi videtur tua cogitatio, ut diceres: Justior sum Deo? — Instimulatus acrius Eliu, quia a Jobo se contemni arbitrabatur, in illum non minus quam ante impatienter invehitur, et quaedam obijcit impia atque stulta, quae aut ipse fingit, aut ex verbis Jobi male ratiocinando componit; quae dum sapienter confutatae sunt, impie ipse et insipienter agit. Notat ergo in primis Jobum blasphemiam, quod dixerit se Deo justiore esse. Sed ubi hoc dixerit Jobus non habemus, neque ostendere potest Eliu, et est sine dubio longe falsissimum; unde tamen aut malitiose aut insipienter illud intulerit exploramus. Potuit videlicet Eliu tum ex variis Jobi assertionibus prave intellectis; tum ex constanti Jobi asseveratione, qua se insonnem esse, et a Deo absque culpa cedi defendit, sensum istiusmodi deducere: eo quippe ipso, quod Jobus sine delicto se plecti affirmavit, visus est Eliu sicut et primis certatoribus Deo notam in-

Eliu prave videtur Jobi insipienter.

justitiae impingere, ac proinde se Deo, uti minus justo, aut certe injusto, anteferre. Dixerat enim Jobus cap. xix, 6, aut dixisse videbatur, se iustum esse atque innocentem, et tamen a Deo injuste puniri: « Sallem nunc intelligite, quia Deus non aequo iudicio afflixerit me; » et cum Jobus cupere se dicebat venire cum Deo in iudicium cap. xxiii, 3, ostendere videbatur justiore esse suam quam Domini causam. Sed haec, ut suis locis et proxime praeced. capit. docuimus, sensum habent modestum ac piium. Quando enim Jobus de sua iustitia locutus fuit, hic spectavit, ut ostenderet, se non secundum peccata puniri, nec improbum iudicandum esse, eo quod a Deo gravius quam reliqui homines affligeretur: nam superius aliquoties declaratum fuit Deum affligere, et homines non semper hoc spectare, ut ipsorum peccata puniat; sed quia habent quos iudicent et condemnent, et ex eorum iudicio aliquid lucri faciant. Quomodo Jobo accidit, cum Deus Satanae laxavit habenas. Non enim hoc eo factum est, quod Jobus vias suas de-

Job optime fecit iustitiam suam.

pravasset, aut magnis criminibus iram Dei provocasset; minime: sed quamvis Satan non inveniret quid in illo reprehenderet, potestatem tamen ipsum cruciandi obtinuit. Ergo causa Deo proposita in Jobo esse affligendo non fuit, quod Deus ipsi infensus esset; sed hoc pacto voluit ejus patientiam probare, ut nobis speculi loco esset. Jobus igitur recte contendit, cum asseruit se minime propter peccata, sed alia de causa se afflictum fuisse.

3. DIXISTI ENIM: NON TIBI PLACET QUOD RECTUM EST: VEL QUID TIBI PRODERIT SI EGO PECCAVERO? — Neque illud usquam a Jobo dictum fuisse reperietur, sed opere pretium est intelligere quid his verbis Eliu calumniatur, ut ubi calumniae ansam repererit demonstremus; calumniatur autem Jobum Dei abnegasse providentiam, neque probis consulere, neque in improbos animadvertere, neque ullam utrorumque curam gerere; et propterea dicit: « Dixisti enim: Non tibi placet quod rectum est, » etc., id est, neque ad te, o Deus, pertinet quod rectum faciam, neque quod peccem; utrumque parum attendis, quod nihil emolumenti nihilque detrimenti ad te ex utraque re veniat. Hebraea ad verbum reddita eandem habent sententiam, licet obscurius, quoniam dicitur: Quid proderit tibi, aut quid commodi capiam ex peccato meo? Ex uno contrario utrumque vult Hebraeus intelligi: quocirca his dixit eandem sententiam, quid proderit tibi, aut quid commodi capiam, subaudi a te, ex peccato meo? id est, non curas, utrum ego peccem nec ne. Aliqui vertunt, quid commodi capiam ex expiatione mea: et quadrat hebraeo נכתי חטאתי, quod et peccatum significat et sacrificium pro peccato; et eodem modo ex uno contrario alterum intelligendum. Et ita optime explicarunt Septuaginta interpretes, qui totum hunc versum ita transferunt in plerisque codicibus, *ἐν τίνος δίκαιοι, quoniam dixisti: Justus sum coram Domino; quoniam dices: Quid faciam cum peccaverim?* id est, sive bonus sim, sive scelus faciam, quid hoc ad Deum spectat? cum ipse nihil ex utraque re commodi vel incommodi percipiat. Videtur autem Eliu sententiam hanc expressisse ex verbis illis quae legitur cap. ix, 12: « Innocentem et impium ipse consumit, » et statim: « De penis innocentum rideat; » et cap. x, 13: « Si justus fuerit, non lavabo caput, » hoc est, non relevabor, honorabor, remunerabor, si juste egero; ex quo videtur effici ad sensum Eliu, Deo non placere quod rectum est; quandoquidem non illud remunerat. Illud denique: Quid tibi proderit si ego peccavero? attribuit Jobo Eliu ex verbis illis capitis ejusdem: « Quare mundum me esse non patris? » ac si Deus ideo non pateretur Jobum esse purum, quod aliquid lucri ei proinde accederet, utpote quem putaret humanis iudicibus esse similem, qui hominum ideo peccatis gaudent, quia habent quos iudicent et condemnent, et ex eorum iudicio aliquid lucri faciant. Quomodo etiam medici grassari morbos optant, precantur-

Eliu dicit Jobum negasse Dei providentiam.

Fingit Eliu Jobum putasse Deo et peccatis lucrum accedere.

que hominum, maxime locupletum, corpora tentari, ut aliorum incommoda ipsis divitiis pariant. Ita pulo secum cogitabat Eliu dum haec verba fingit veritati, et adscribit Jobo, dum ait illum dixisse: Non tibi placet quod rectum est. Significat nempe Deo virtutem et pietatem non placere, quia non habet ex quorum damnatione compendium caplet: illa Stumia et Sanctius noster. Recte autem ad hunc locum notat S. Gregorius lib. xxvi Moral. cap. vii: « Si tota libri series attenditur, nihil horum beatus Job dixisset. » monstratur. Sed arrogantes viri, sicut et superius diximus, habere hoc proprium solent, ut dum in nimia invectione prodeunt etiam invehendo mentiantur: et cum non possunt reprehendere juste quae sunt, reprehendunt mentiendo quae non sunt. »

4 et 3. ITAQUE EGO RESPONDEBO SERMONIBUS TUIS, ET AMICIS TUIS TECUM (insolenter simul et arroganter Eliu jactat se responsurum esse Jobi sermonibus impietatis et insipientiae plenae, et docturum Jobi amicos, quomodo Dei causam et nomen a maledico sermone intuentur, et Jobo de ipsorum victoria exultanti silentium indicant). SUSCIPE CAELUM, ET INTUERE, ET CONTEMPLARE AETHERA QUOD ALTIOR TE SIT. — Arguit modo Jobum quasi aliquando dixerit Deum ex hominum peccatis aliquid capdo deum posse lucrare, dicitque Deo neque quidquam accedere posse lucri ex hominum iustitia, neque ex eorum iniquitate nocumtum, quia Deus in caelo procul ab hominibus est, quomodo hominum opera, quaecumque fuerint, pervenire non possunt. Qui gravis est et infantilis error, cum Deus ubi vis locorum sit, et universa compleat. Argumentum igitur, quod ad hujus pronuntiationi confirmationem ulitur Eliu, illius indicat insignem ignorantiam: concludit enim in caelo Deum, ita ut neque terram neque universum compleat, neque cum hominibus sit. Unde S. Iheronymus et Beda arroganter illum philosophastrum crasse ejusdem ignorantiae coargunt: tota enim ea ratio in locorum distantia ab hominibus intervallo disjungitur, pervenire nihil possit, perventurum utique, si propro nos esset, aut ubi a nobis adiri aut conveniri difficile non possit. Ita Sanctius nosler.

Eliu male loquitur Deum caelo concludi.

Secundum anagogiam autem hic invitatur ad Caeli contemplationem, ut exinde attolamus ad Nuclei cognitionem amoreque attolamus: cogitatio enim maxime naturam divinam et procreantiam omnia vim, potentiam et inexplicabilem sapientiam eximie declarat, hinc S. Chrysostomus hom. 40 ad Popul. ait caelum positum a Deo *βιβλον μέγιστον καὶ θείωτα καὶ σοφία, maximum librum et idiotis et sapientibus: ἀδύνατον ἀρτιὰς χριστιανῶν, omnibus generatim utilem esse.* Liber ille tam apertus, tam generatim gloriam Dei; » vel, ut vertunt Septuaginta, *δῆλον, claritatem, existimationem, magnitudinem;* vel, ut Chaldaeus, *pretiositatem;* vel, ut

Caeli contemplatio nos ad cognitionem non adducit.